

reali sive australi polo suo partes illas respiceret. Promotus item borealis magnetis polus ab E aut F versus A & B acum adhuc sibi iungebat, donec vel ad D vel ad C (qui posterior locus erat extremitati notabiliter propior illo priore) pervenisset & repellere eandem occiperet; australis autem per totam longitudinem tum E A tum F B acum attrahebat, sed tantò velociùs fortiusque, quantò propiùs ab alterutra extremitate A vel B aberat. Quorum equidem Phænomenorum extraordinariorum rationem non antè reddere quisquam poterit, quàm generalior attractionis causa penitus perspecta fuerit. Hoc interim ex iis consuetarii loco fluere videtur, influxum illum magneticum, qui per magnetis ferrique poros defertur, non adeò longè rectà excurrere, quin ad latera divergat & exitum quærat antequam ad oppositam corporis magnetici longioris extremitatem perveniat: id quod magnes quem possidemus quatuor pollices Rhinlandicos cum dimidio longus haut parum confirmat, circa quem cum ferri scobem in charta candida æquabiliter dispergimus, hanc non solum circa utrumque polum α & β ad latus utrumque reflexam more solito, sed etiam circa lateris utriusque medium circiter γ & δ introrsum pariter flexuras manifestas formantem conspiciamus, ea ferè striarum ex pulvisculorum spontanea cohæfione natarum dispositione, qualis num. 4. Fig. 45. est expressa. Hæc autem observatio utrum difficultatem aliquam parere possit in hypothese Cartesianâ aliàs valdè ingeniosa, quæ influxum magneticum borealem v. g. per australem terræ polum egressum inde reflecti usque ad ejusdem polum borealem, plusquam bis mille miliarium germanicorum intervallo, supponit, aliorum esto iudicium.

VI. Nova nunc accessio Laternæ Megalographicæ describenda venit, *Horologium* puta *Nocturnum*, quod in pariete dormitorii, ope memoratæ laternæ, horas nocturnas vero debitoque indicis motu spectandas in mediis tenebris evigilanti

Phæn. VI.